This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



PETRI MONTENGONII

ALONENSIS

DE TOTA

ARISTOTELAEORUM SCHOLA

SERMONES QUATUOR

AD LUC. SEXTILIUM.

14

MASSILIAE.

MDCCLXX.

90. b. 5.

POETA.

NOn noſtrum memini labrum expolitum,
Docto Pegaſei liquoris hauſtu
Prodirem novus ut puer poeta,
Et docte nitideque pipilarem
Corvos inter, & anſeres Lycaei:
Sed poſtquam latiae melos Camoenae,
Cunctis Jupiter! exulavit oris,
Et ſolum popularibus poetis
Phoebejus tonat undequaque vertex;
Rudem non fore credidi poetam,
Nothos inter, & hoſpites Quirini,
Qui poſſet tenerum expedire guttur,
Et noſtras ſemel edocere picas:
Salvete, o Patriae optimae Camoenae,
Valete, Italicae Camoenae,
Tacete, horriduli anſeres ſoeri.

SERMO PRIMUS.

Recenſet Poeta ortum, mores, & ſtatum Philoſophiae, & Scholaſticorum Doctorum, a quorum noto in Poetarum, & veterum rerum notitia contemptu, ducit exordium. Ironice autem attingit praecepta, quibus juventutem a reliquis artibus avertunt Doctores. Horum deinde genera enumerat, qui dum ſoli Philoſophiae ſtudent, Poeticam, & Oratoriam artem contemnunt, quibus etiam abutuntur. Verum autem ingenii, & rerum tradendarum in Philoſophia guſtum reſpuunt; nec praeter Ariſtotelem ipſiuſque placita Graecos, aut Latinos amant auctores.

QUid prodeſt magno, Sextili, digna Catone,
Aut noſtris etiam non aſpernanda latinis
Edere, ſi ignavae doctorum prodita plebi
Diſplicet, atque olidis peritura eſt charta culinis?
Sive gravi carmen cum majeſtate feratur,
Seu ſale conditum, tantumdem ſpernitur: atqui
Inſani eſt puris immittere fontibus apros;
Sed malo inſanire prius, quam impune coronam
Palladis, ogigias patiar praecingere frontes.

Improbulus poſthac fama ferar, atque juventa
Fervidus, aut nimium juvenili mente profeſſus
Grandia, ridebo mecum dicteria Turbae,
Doctorum conſuta cadant dum lintea tergo.
Nam quis ea magnum non conditione laborem
Suſcipiat, rapti ut magnae redimantur honores
Palladis, & tandem furtivis gracculus alis
Depoſitis fugiat, roſtro mulcatus adunco?
Quis tamen hac doctor non gaudet ſorte repulſae? (1)
Sed quae jamdudum miſeros tegit inſtita pellis, (2)
Qua ignavum fallunt alieno tegmine vulgus;
Illis excuſſit riſum, quos ſaepe ferinae
Terruerant voces, veſpertinique tumultus
Gimnade ab ingenti, quoties ſua ſacra frequentant
Clamoſi Baptae (3), atque vocant in vota Minervam.
Nam quis contineat riſum, quando eminus aures
Argutae apparent? Sed ſi dementia dici
Debet, amiclaeos quod culpem carmine vultus,
Collaque magnorum circumcriſpata Sophorum;
Non eſt cur ſanus convertere tanta laborem
In me vota Patrum, totumque ciere Lycaeum,
Cujus

(1) Quoniam ſibi Philoſophorum nomen abrogant.
(2) Nota eſt Aeſopi fabula de Aſino leonis exuviis induto.
(3) Sacerdotes Cottyti Deae, quorum clamoſa ſacrificia imitantur Scholaſtici.

Cujus me tangit reverentia: ſobrius ergo
Illorum laudo clamores, jurgia, pugnas,
Diſſidia, inſanas rixas, & praelia vocum,
Et quaecumque volent: facile eſt imponere quemquam
Laudando, noſtro quae tempore maxima merces.
Ergo licet tacitus pugnent, laudabimus aeque
Ac ſi ſtentorea quatiant gymnaſia voce,
Nobile qua poſſit novus advena pectus iiſdem
Imbuere exemplis doctor, rerumque figuras
Noſcere, cauſarumque modos, quibus audeat altum
Carpere iter, facilis quo ſe ſapientia praebet
Omnibus, & doctae ſe inſpirat didita menti.
Nos vero miſeri deerravimus! ipſaque rerum
Impoſuit falſa ſpecies ſub imagine, cum nos
In cineres Trojae ſteriles deduxit, & anni
Quid potuere decem docuit, quid falſus Ulyſſes,
Quid Telamoniades, & Grajum turris Achilles:
Aſſaracique Larem, Priamumque, Helenamque, Parinque;
Et profugum Aeneam, Romanaque bella Sabinis
Cum patribus, furtumque tuum, Gradive, ſub antro
Aegeriae; unde parens producta eſt inſcia virgo.
Verum haec nulla manent: fuit olim Roma, decuſque,
Et Latiae tum gentis honos: nunc ſemita laudis

Sola Stagiraeis patuit, ſi vera fatemur.
Quando jám notos didici conducere rhedas,
Calones fieri, ſuccendere buſta poetas.
Quin etiam Clio, cum vellet docta videri,
Nec jejuna mori, deſerta valle frequentat
Doctorum claſſem (novi novi ipſe figuram,
Incultumque Deae crinem, nam caetera pulla
Veſtè tegebantur, mendicos inter alumnos)
Et ſolita caules excepit Diva patella. (1)
Nam Sophiae pretium ſapere eſt: verumtamen illud
Libabis nunquam, niſi declinaveris omne,
Quidquid Ephemeridis falſi retulere Pelaſgi.
Ad Sophiam ſpectant quid enim Hermione, Eriphile,
Caſtaque Penelope? quo coeli vertice fulget,
Stella Lycaoniae proles non nota parenti
Moenaliis Arcas quateret cum ſpicula ſilvis?
Iſmariis qua parte nitet, puer Ampelon uvis,
Et Baccho dilecta nimis Minoia virgo?
Cudere ſi neſcis dilemmata, vel *quid-ſtates*
Fingere, queis multas poſſis direſcere mentes,
Ingeniique aciem, atque novos tibi cudere ſenſus?

Quid

(1) Mos eſt in omnibus Hiſpaniae civitatibus mendicantes Philoſophos caule, atque hujuſce generis leguminibus malecoctis alere; quorum recipiendi cauſa ſecum Philoſophi ollas portant.

Quid ni igitur facias cum te Furdulius, atque
Rufus, ceſſurum nulli par nobile fratrum
Stultitia edoceant, qua ſis venturus in aleam
Doctorum veterum claſſem, videaſque ſupremis
Stantia Iberorum, atque Arabum ſimulacra cathedris
In circo? magnum documentum, ne quis ineptis
Inſudet placitis, latiam nec ſulcet arenam.

Haec noſtram Fuſcus Sextili Groſphus in aurem
Inſtillabat iners quondam praecepta, libroque
Diſcipulos toties eadem mandare jubebat,
Tamquam ſancta Sophis ſervata elementa vetuſtis.
Sed quid aget juvenis qui ignorat talia? Credit
Numen adorandum, caprina a fronte relatas
Ammonis ſortes, quoniam obmuteſcere Pindum
Edidicit, retinetque, nec amittet; niſi forte
Unus, & alter contemnat, quibus arte benigna
Finxit, ſic quoniam voluit ſapientia pectus.

Verum nota magis non eſt Doctoribus ara
Palladis, & templum, atque novum Divae ſimulacrum
Quam mihi; cujus in effigiem munuſcula quondam
Priva tuli, & veteris ſicut eſt mos thuris honores.
Saepe, recordor enim, vultum mirabar, & ingens
Palladium (1), cui inculta humeris aerata rigebat

(1) Totius Philoſophiae ſcholaſticae pictura, quae & duram eſſe, & ſterilem, & inſulſam probat.

Caeſaries, oculiſque minantibus aſpiciebat
Adſtantes Arabas circum, primoſque Lycaei
Doctores, quorum tenſo de pectore tricae
Manabant, fatuique ſales, nugaeque canorae:
Ipſa etiam viridi Pallas circumſita topho,
Durum opus, excelſae capitis pro tegmine criſtae, &
Pro clypeo; Alpinae capita alta premebat Echidnae, (1)
Ut perhibent monumenta ſophum, ſorteſque Lycaei.
Omnia velabat ſterilis pacalis olivae
Ramus, creſcebantque ſolo tribuli, lapatique,
Intubaque, & lolium infelix, triſteſque geniſtae.
Sic Divae ſpecies, turpatum & Numen, ab illis
Nunc templo colitur ſimili, quo ab gentibus olim
Dius Amor Phariis; nigra cum plebecula, nigri
Inſervire ſuis votis Oracla jubebat
Saepe Dei, & rebus Numen ſervire profanis.
Felices populi, quibus eſt ſapientia nata,
Quae media poterit ſecernere turbula alumnos,
Vociſque ingentis ſapientes aſſe creare!
Sportula ſola vocat, venter jubet eſſe clientes,
Quid facient? omnis Divam veneratur, & omnis
Pronus inacceſſum Divae contingere limen

Exop-

(1) Volunt Scholaſtici Philoſophia ſua omnes haereſes fuiſſe fugatas.

Exoptat, quoniam victum dabit area templi.
Deme gulae caules: decreſcet turba parumper
Vervecum, fietque minor numeruſque, fameſque
Muſcarum, quae ſola Deae bellaria lambunt.
Aſt alii, quorum melior ſententia menti eſt,
Et meliore tumet pectus tinctigine laudis,
Non victum; ut vivant quaerunt tamen alta Sophorum
Immixti numero, privati jura Lycaei.
Mirus uterque labor ſi non vulgaria ſemper,
Cum poſſent meliora, amplexi ſola fuiſſent,
Sed quid ego miſeris volui? quandoque Minervam
Nemo vidit inops noſtra hac aetate, nec ulli
Doctorum affulſit, fractis niſi ſaepius ollis
In frugem redeat meliorem, aut divitis umbram?
Verum opus eſt quaecumque retexere: parcite cives,
Non vos, ſed veſtros culpo ratione carentes
Ingenuos animos, qui malint pulte, lupinoque,
Atque hinnulis paſci, quam ſuavi ſaepe palatum
Gallina tergere, aut grandi piſce Neronis
Cum poſſit, nec jejuno menſura vel ampla,
Veſtro deficiat ſtomacho. Sed clamat Ofelus
Exhibe ubi poſita eſt, quam nobis detegis, eſca?
Curremus monſtrata canes in prandia, nec te
Doctum ob conſilium prauſi linquemus inanem.

Ah

Ah miſer! ut metuo tua ne jam te gula fallat:
Sperne cibum vilem, dicebat Horatius olim,
Sperne cibum vilem mentis nos dicimus; ut tu
Inſanus ſpeculo appareas, doctique prope omnes,
Vilia qui ingenii quaerunt obſonia ſolum,
Poſthabitis rerum melioribus. Haud ita quondam
Cryſippus; quod enim contempto gauſape nomen
Geſtaſſet, ſi pro naturae flexibus, horto
Quaeſiſſet patrio repentes ſtercora vermes?
Ut viles homines aevum, ſic urna beatum
Opprimeret Cinicum meditantem grandia, ſolum
Si formas, vel ſolas quaeſiſſet *meditatos*.
Atqui nil medium eſt: quid enim jam diſcrepat illis
Exemplis ratio ſtudii, ſeu norma Lycaei?
Vivitur hoc voto, cedenda eſt laurea votis,
Saepe quibus ſicci metitur ventris egeſtas.
Maximus eſt horum numerus: ſed da mihi doctum,
Qui Sophiae ſtudeat, ſapienti ductus amore,
Non alio: multos numerabit forte decembres
Hauriet ut primas rerum, cauſaſque, ſinuſque,
Erroreſque viae, anfractuſque, modoſque, quibus ſe
Ridiculum tegit *Ens*, aut grandi codice formae
Conduntur caute, veluti ſacraria Delphi,
Sacraque Cecropiis ſervata cubilibus; unde

Nil

Nil praeter voces: & inania nomina rerum
Infelix ducet, quamvis ſibi plaudat ineptus,
Aut noviſſe putet, quidquid novus auctor in illis
Flexibus addiderat mentis, rerumque figuris.
At tu ſi doctos cupis hos imitarier, aude,
Quando potes, verſa ſcrutari aenigmata fronde,
Unde ſibillinas promes, quod vincere ſortes
Poſſit, & innumeras, quae non ſunt, noſcere cauſas.
Nam quis, qui vere ſapiat, neget id, quod Ofelus,
Et ſapiés probat Hermionus, quodque omnibus eſt mos
Ut ſemel attingant diſperdere civibus, annos?
His tamen interea augentur Doctoribus urbes,
Quos miſere graves donatos fronde Lycaei.
Quos inter ſplendent orator obeſus, & audax,
Paedagogus iners, nonnulli bardocueulli,
Cirrataeque manus ductor, ludique magiſter,
Queiſque fames dedit eſſe aliquid, cum lãguidus humor
Viſcera circumagens jejuna incumbere ſectae
Suaſit Ariſtotelis, doctaſque ambire cathedras.
Unde tamen noſtra ſapientia prodeat urbe,
Si placet, & veri rationem admittis, amice,
Edicam breviter, longo, & noteſcet ab uſu.
Dogmata Ariſtotelis poſtquam ditavit Aquinas (1)

Et

(1) Divus Thomas Aquinas Ariſtotelis interpres, quem

Et noſtris purgata daret cum moribus, ille
(Nam cur ex Arabum repetenda eſt fonte Sophorum
Cauſa, tenebroſis poſtquam circumlita nimbis
Senſa Stagiritae, ſus deque inverſa, dedere)
Ille aliena ſuis aptavit dogmata alumnis,
Illuxitque novus veteri de foece Pelaſga
Alter Ariſtoteles latiis productus ab oris,
Sed tamen ingentis multi veſtigia, jam tunc
Prima ſequi voluere ducis, ſanctaeque Lycaeum
Doctrinae inſtituere viri; ſed gramina fontes
Lambebant nulli, varioque nec ordine calles
Mirtus obumbrabat: non artem imitata Periclis (1)
Horrida paullatim gliſcebat ſilvula dumis,
Innumeriſque inter naſcentia ſaxa, vepretis.
In media ſtabat ſilva Dea filia vocis, (2)
Circumſepta Sophis, quos producto ordine calles,
Ire, redire iterum; magni ſpectacula riſus
Cernere erat, denſi formicarum agminis inſtar,
Ut tenues poſſent fontes attingere veri,
Guttatim rigidis e cauſis inſtillantes.

Haec

poſtquam erroribus purgavit ſuis, Aquinatium, ſeu Thomiſtarum Sectae dux eſt praepoſitus.

(1) Pericles Athenienſis antiqui Lycaei inſtitutor, cujus induſtriam in ornando Lycaeo non adumbraſſe dicuntur Scholaſtici.

(2) Vocatur Philoſophia vocis filia, quoniam ſemper clamoribus exagitatur ab Scholaſticis.

Haec eſt meta viae, fructuſque laboris iniqui,
Quem pariunt Sophiae miſeris elementa beatae
Prima, ac ingentis pretium clamoris, ubi altum
Veſtibulum tetigere Deae, ſanctumque clientes
Ingreſſi limen, Divam clamore ſalutant.
Hoc iter eſt templi; haec Sextili ſemita, quae te
Ducere in antiquam Sophiae, docui prius arcem.
Necve aliam, mihi crede, tenent, qui tempore noſtro
Eſſe volunt aliquid, nec ſolis vivere bettis.
Imponet ſibi quiſque Sophus, mihi Tiburis arces,
Cecropiique placent campi, Cumaeaque Tempe,
Et Paeſtana ſuis rorantia fontibus antra:
Novi ego Doctorum, quid ab illis diſtet Aſylus.
Hunc teneant, ſerventque ſibi, qui glandibus alvum,
Et ſiliquis ſaturare volunt, nos pane reperto
Tendimus ad culmen; meliora obſonia nobis
Diva parat, magnae laturis praemia lauri.
Me tamen aetatis miſeret, quae pectora nulla
Protulit in lucem, lucis nec amica, nec ullus
Cernitur orator modicus, nulluſque poeta.
Omnis ad exedras accurrit prodigus, omnis
Sartor, eques, tonſor, molitori immixtus alumnus
Cerdonum, Fulonum, mandrarumque nepotes,
Et nati piſtorum, ſcribarumque caterva

No-

Nobilis, & quorum capitis tonſura, leviſque
Sincipitis, curto tegitur, longoque cucullo.
I nunc, atque comes potes iſti incumbere ſectae
Ut perdas guſtum, & populi nova fabula fias.
Ille quatit ventos magnis clamoribus, omnem
Excutit hic bilem totis pulmonibus, & jam
Defeſſae nequeunt verbum dimittere fauces,
Inſtigante palam magni fervore magiſtri;
Huic ſolvit nodum quando ſe vindice dignum
Credidit, & totus fervet clamore Lycaeus.
Omnia fac toto tractari jura vel anno:
Summam operis perdent miſeri, quia ludere doctor
In tricis voluit, tenebriſque inducere verum,
Ut magis aſſiduo juvenis ſudore laboret,
Intendatque meris formis, & *inaneitati.*
His tamen inſudat Tonſoris filius, aegro
Ut ſciat undantem comtundere poſtmodo venam,
Pharmaca vel morbo committere ſaeva gravanti;
Ut citius pereant animae Tonſore jubente,
Atque Stagiritae placitis, Sophiaque magiſtra.
At cerdo hic nunc eſt: medicus tamen advena fiet
In populo, quem nemo noſcit; ſed nova febris
Intellecta parum, eventuque ablata inopino,
Efficiet ſapientem; quamvis ruſtica mater

Pal-

Palluerit, puerique animam commiserit uni,
Quem si noviſſet, nollet committere plantas.
Omnia praeſtabit vel si cupis aſtra Lycaeus.
Nuper eras Piſtor, glauco (1) mox tegmine doctor,
Tempore quo Geneſis patuit tibi tota, ſinuſque,
Et rerum amfractus, atque omnia. Nonne Creaſor?
Atqui ſic te fingebas, cum faucibus olim
Admoras Peti (ſi quondam viſa recordor)
Enthymema novum, magno ſpectante Senatu;
Praemia clamoſae cum ferres grandia linguae
Judice me: felix ſi poſſes denique famae
Inſervire iterum, cum e feſſo frigida verba
Pectore ructares, ſacras orator ad aras.
Oh! quanto riſu, quantoque accepta cachinno
Illa tabella fuit: cum pulpita magna feriret
Mollia dicturus pede duro: ſeria dictu,
Proferret molli infacundus Rocius ore.
Illuc, hucque vagans motabat ſermo, ut ab auſtris
Adverſis agitata mari pinus; ſine nervis,
Ornatuque ſuo, nullo rerum ordine, vulgi
Lumina de medio ſumpta, immundaque taberna:
Inde metaphyſicis ſubductum aenigma cavillis,

Et

(1) Inſignia ſunt bombycina tegmina colore glauco, quibus induti Doctores, Scholae praeſunt conventibus.

Et divina ſuo deducta oracla palato:
Caetera condidicit caute, viditque relata
Codicibus magnis, furto & ſubduxerat; unde
Hiſtoriae patuere duae, nova fabula, totum
Diſſimili ornabant textum centone colores.
Expectes eadem a magno oratore Lycaei.
Mox cervi currunt inter delphinas in undis,
In ſilvis paſcunt phocae, Melicerta marinis
Sanctus agit geminata lupis armenta per agros:
Creduntur templis digniſſima membra Cyclopi,
In vetitum migrat Pallas violata lupanar.
Pingitur Allobrogis Iſter, Brenniſque Garumna,
Anglia longinquis fertur diviſa Britannis.
Donec jam raucus de paupertate locutus
(Hoc ſaltim tentatus erat) ſermone reducto
Volvitur in tenebris; bella & titania tandem
Horribili clamore ſonant, Stygiaſque volucres,
Ultricemque vocat Nemeſim, furiaſque ſorores
In mores populi, magnoque expallet hiatu.
Oenephorum voluit nimirum cudere, at illi
Cantharus attrita deformis prodiit anſa.
Unde haec tam nova manavit facundia? namque
Me vidiſſe prius nondum memini; niſi forte
Ipſa Stagiritae praeſcribant jura, canoris

Oran-

Orandi leges, nugis implerier, atque
Spurcitiis: atqui Demoſtenis, & Ciceronis
Talia jura vetant, quos mirabantur Athenae
Civili primum pro libertate loquentem,
Alterius ceſſere etiam civilia linguae
Praelia, nullaque poſteritas, nec ſaecula ſuppar
Ingenium cernent, & adhuc tranſacta requirunt.
Ah! ſi tangeret haec noſtras nova gloria mentes,
Et ſtimulis agitaret amor, Sophiaeque cupido
Pectora, nec tanti jactarent nomine inepto
Se, ſuaque immeriti; neque circo oſtendere currus
Optarent tantum, at praeter ſpatia ultima vecti,
Vellet Olimpiacas rapere unuſquiſque coronas.
Sed non vecordes noſtratum praemia tangunt
Iſta animos: juvat hoc potius circumdare frontem (1)
Pileolo, & pectus pretioſo vellere cinctum
Oſtentare aliis, quam Phoebi ex arbore ramum
Arripere, & ſacrum Muſis aſcendere collem.
Nec mirum quippe exemplis inſtructus alumnus
Majorum, a teneris nugas conquirere mentis
Unguibus edidicit, ludiſque ſeneſcit in ipſis,
Divinum quidquam reputans: nec grandius ultra

(1) Ornamenta doctorum pileus eſt, & tegmen de quo ſupra.

Esse putat, solumque volumine tutus in uno,
Expectat vocis pretium, mentisque, saporisque
Erepti *enticulis*; postquam caligine sensus
Turpavit teneros, plenus farragine codex.
Hoc agite, o juvenes, stimulat vos gloria, priscus
In patria acceptus, ductusque nepotibus usus,
Ex quo dia patres noluere obsonia, cum pro
Caulibus, atque gravi renuere embammata porro.
Quid tunc? accessit menti sapor, atque palatum
Ut judex, diremit causam e lite jocosa:
Unde Sophus nemo est habitus, nullusque probatus
Auctor, quamvis nunc etiam descendat ab astris
Pompilius, caulis referat nisi forte saporem.
O! sapor, o! Sophiae comes, & gratissimus idem
Pectoribus vatum, quem nobis antra Heliconis,
Et Phoebaea suis peperit domus obsita lauris,
Et virides umbrae Pindi decus. O! ubi fontes
Aonidum, & Phoebi nimphis gratissima quondam
Prata, poetarum requies, cum sacra juvabat
Pandere curvatas circum deliria mirtos.
O prata! o fontes! o dulcia Thessala Tempe
Fontis Amadriadum! sordescunt talia nostris
Civibus: ite o Parnassi decus; ite puellae
Pierides, nullos fronti contexite ramos,

Sola

Sola Sophos homines vocis contentio reddit.
Maxima Graecorum crevit, quae fama, Sophorum,
Nulla fuit, frontes, nec cinxit Pallas opimas
Praeter Ariſtotelis, quamvis perſaepe Platonem (1)
Audierit balbus juvenis, ferulamque magiſtram
Horruerit ſerpente magis, pictoque dracone,
Et magis aſſiduo creviſſet verbere gibbus.
Ergo ne mirere, jacent ſi ſerta latinis
Inficiata comis; fuit horum gloria, necdum
Extat adhuc nomen, neque ingens fama, Lycaeo
Judice: ſub quo vel Phoebus permeſſide lauro,
Panos in obſequium, non aequa in lite careret.
Hinc aſini auriculae, quibus audet fronte ſuperbus
Doctor Abempacem latio praeponere, quidquid
Deliravit inops fuſis Abicena cavillis,
Nugatuſque fuit nimboſus Aberrois; his ſe
Saepe Sophis jactat ſpuriis, quos prodidit olim
Africa monſtrorum nutrix, miſitque vel ira
Magna Jovis, fatis vel Iberia tacta ſiniſtris
Excepit ruitura ſinu; quos carmine laevo
Bubones cecinere prius, cum turribus altis

(1) Ariſtoteles annos viginti Platonem audiit magiſtrum, cujus verbere creviſſe dicit poeta gibbum Ariſtotelis, quo intelligatur qua ratione habendus eſt ſapiens ſolus Ariſtoteles, non autem Plato, qui praeceptor illius fuit.

Impoſiti, ſaevo minitarunt omine gentes.
Hos amat, & ſimul inſigni praeponit honore
Fudius, & doctor Pedacia, quique cavillis
Paſcitur, & nugis nutritur Iberus iiſdem.
Scilicet inſanae mentes, queis provida lippis
Oppoſuit natura oculis grave tegmen, ut almam
Proſpicerent nunquam coeca in caligine lucem,
Perpetuaque animas Heroum nocte fugaſſent
Aſſiduis ululatibus. At melior ſuacuique
Sors erit in terris, majorem dummodo nunquam
Viderit, aut reputaverit. Eus Pedacia narra,
Fabula ne pereat, poſtquam longiſſima volvas
Jura Stagiritae, vel quidquid codice pleno
Congeſſit tribus inſignis praeceptor in annis,
Quid juvat? Accrevit nimirum clivus, & ingens
Tricarum cumulus, qui poſtquam tempore longo
Parturiit culicem peperit; tamen altera temnis
Jura Sophum, tamquam nil productura, nec unquam
Servitura tuae fulgore carentia menti.
O bone, quam ſapis, & peream niſi verum eſt: doctis
Utere conſiliis demum, ſolummodo poſthac
Dicentur Sophiae proceres, quorum illia ſemper
Aſſiduo magnae turgeſcunt vocis ab hauſtu.
Doctior eſt quin orta Sophis, meliorque Minerva

Nata

Nata recens, latio quam quae regnavit, & arce
Cecropia tulit indigenis, quae jura pelasgis,
In cerebro concepta Jovis: quippe illa palato
Nostratum formata est Diva, & fulciet horum
Languentem stomachum; nec mendicavit alumnus
Victum, dum vigeant voces, dum mascula bilis
Excutiat clamores rixis, atque cavillis,
Queis possit nomen, majestatemque tueri,
Dignam annis, dignam meritis, & voce magistra.
Sed tamen hoc fatuum cum sit ridetur Homerus,
Virgiliusque: hac credo mente, quod altior ardet
Fulgor, & istorum tenebras ea lumina pellunt.
Ut quondam fertur (brevis est fabella) paterno
Noctua prosiluisse cavo; summumque teneret
Cum Phoebus Coeli spatium, convicia foedam
Effudisse Deo volucrem, quod lividus urat,
Perpetuisque sibi subducat cuncta tenebris.
Culpa oculos insana tuos, Deus inquit, & illi
Quae te produxit coecam dicteria funde.
Haec quòque videbis, verum si te bene nosses,
Conspiceres tenui veros in imagine vultus.
Di tibi, Di donent istud cognoscere; sola
Haec erit e nostro, sed spes mihi magna, labore.

SERMO SECUNDUS.

Excuſat ſe primum Poeta non Philoſophiam Ariſtotelis, cujus ſe jactat diſcipulum, ſed Philoſophiae tradendae uſum accuſare; praeſertim in Doctoribus, qui ſolum ridiculis quaeſtionibus intenti, veras non curant; ſed potius omni ex genere argumentorum undequaque petito, implent codices pueris tradendos. Fieri autem plerumque dolet, ut annum non integrum in ſola quaeſtione prorſus inutili juvenes terant. Atque id non inconſulto factum a Doctoribus, quorum doctrinam & in theatris, & in ſcholis depingit; atque haec eadem non in una, aut altera Academia, ſed in omnibus poſtremum agitari arguit.

SEd ne forte putes nulla ratione magiſtra,
Inſanire meam producto verbere Muſam,
Ut Bellona ſolet: Sophiae, ſi neſcis, alumnus
(1) Pheſtiadis jactor; quoque nos dimiſimus olim
Palliclum, inque novi juravimus acta Lycaei,
Et quoque nunc juro, quamvis moderatior idem
Interpres; neque enim contempſi ſobrius artem,
Dogmaque Ariſtotelis, ſed vanum dogmatis uſum.
Contemnetque etiam verum quicumque ſaporem
Pri-

(1) Philoſophia ſcilicet Ariſtotelis, qui matrem habuit Pheſtiam.

Primori tantum labro libavit, ineptas
Si ſemel hic potuit doctorum noſcere nugas.
Ibrida ſed veſtrum lactat natura palatum,
Et gipſum cogit jejuno rodere dente,
Nec tamen avertes quoniam ſapit eſca palato,
Macra licet facies miſero pallore tumeſcat.
Sic eſt, Sextili, nobiſque oſtenderat ipſa
Doctorum macies, jam tum cum pallas in altos
Diſceſſit lucos, Muſae quam pone ſecutae
Deſeruere aram, fontes, & Apollinis aedem.
Dic mihi, Calliope, quali tunc Diva pudore
Circumfuſa, ſolo properaret cedere; quali
Majeſtate Dea, iſtorum deliria luſſit,
Cum taedas, laurum, cubital, focalia, vittas,
(1) Flammeolumque paraſſet Iberus nubere tentans
Pallada Ariſtoteli, medius cum ejectus Athenis (2)
Verteret ingenium noſtrae caligine gentis;
Utque Stagiritae proprias gens extulit aras,
Calliope, nobis memora, ſorteſque Lycaei,
Quae ſupplere Deae poſſent oracla fugatae.

(1) Nuptiarum ornamenta, quae parabant Hiſpani, ut poſſent Pallada nubere Ariſtoteli; fabula eſt, qua irridentur Hiſpani Doctores.

(2) Ariſtoteles pulſus in exilium fuit, fingitur tamen in Hiſpania fuiſſe receptum, in qua tanto in honore eſt.

O! qualis facies, & templi qualis imago,
Cum gibboſa Dei ſuperarent tergora, calvam
Abſque humili tantum conſurgeret exule numen.
Cujus ad effigiem fumabant thura Sabaea,
Et priſci quaecumque Arabes opo balſama ſecum
Portarunt, adolenda novis in numinis aris,
Quae nondum ceſſant, quamvis campeſtribus ardent
Frondibus atque humili crepitant ſub ceſpite, ſed vos
O Pueri, fugite hinc; clamoſis parcite ludis,
Necve cacate (Dei prohibet reverentia) templi
Ad limen, portaſque ſacras foedare cavetote:
Ingentis pallet formidine numinis omnis,
Qui cupit impatiens ſacri reptare ſacelli
Veſtibulum atque ingens penetrale, ubi nuda refulgent
Aſſidue venienti rerum arcana, ſinuſque
Enticulorum, aenigma Sophis mirabile priſcis,
Et nondum auditum vobis emblema Dionis.
Multis haud opus eſt; quodcumque optaveris illud
Sacra Stagiritae pandet cortina diſerti.
Sed poſtquam tantus jamdudum occalluit error
Mentibus, & demens luſſit reverentia cives
(1) Numinis; haud facile ex praetextam nomine ſancto

Vel-

(1) Ariſtoteles nimirum, quo nomine in reliquis ſermonibus venit intelligendus.

Vellere ſtultitiam, erroremque avertere verum.
Quid tamen a magno ſperandum vindice non eſt?
Et fugat errores, errorum cognitio; quae
Sola tamen, valuit nuper de ſtipite Marſum
Reddere concinnum, & ſapientum immittere circo.
Haec me mens movit campum decurrere, per quem
Nullus adhuc bijugos noſtrorum flexit alumnus,
Ut tibi multa viae pateant diſcrimina lumen
Praetuli, & ut dubiis tollas obſtacula planctis,
Perſpectamque velis Sophiae contingere metam,
Ignotam multis; idcirco ſaecula paucos
Multa recenſerunt, quos ſacro in limine Pallas
Fronde coronatos dedit innoteſcere famae.
Scilicet eſt error, qui nos a tramite recto
Seducit varius, tantum dignoſcere oportet
Magnas ſtultitiae ambages, doctoris & ambas
Auriculas, quae ducunt pubem ad numinis aram
Ut diſcant divina Dei reſponſa: ſed ejus
Ridet honoratam tacitus clementia turbam
Doctorum, qui ſacra putant oracla Lycaei
Obſcuris dilemma notis. Quin talia ſemper
Sede ſedens ridet gibboſum numen, & illa
Praeſcripſiſſe negat, genti deliria noſtrae.
Utitur haec tamen, & praebet diſcenda juventae,

Ut

Ut digna evadat lauro, meritaque corolla.
Ergo ubi tempus adeſt, quo ſe ſpectanda theatri
Et tentanda modis, ejus ſapientia miris
Exhibet, accurrit populus, factaque corona
Adſpectatorum; Thuſco exemplaria praebet
Diribitor; longoque ſalutata ordine turba,
Incipit a Thuſco bellum vocale, canoris
Armato nugis; mentem dilemmate crebro
Exagitat pavidi propugnatoris, utrique
Intumuit bilis, volitatque cucullus ad auras,
Palma datur Thuſco, Thuſcus quod ſtentora vicit
Vocibus, ut verum excuteret vehementius: illud
Attamen in puteo poſtquam Democritus imo
Agnovit, latitat, nec quiſquam eduxit, at ille,
Ille coronatur, proprius qui acceſſerit audax.
Credo equidem, & laudo; ſed quae tam dira cupido
Afflavit miſeros, ut caules inter, & ervum
Rimentur verum, veluti piſcator ad amnem
Lumbrices humiles, tamquam ſi provida nobis
Abdiderit natura ſinus, nec ſaepe pateret
Materies rerum, noſtrae vaſtiſſima menti?
Venerat extremos patiens Hiſpanus in orbes,
Jam maris, & terrae cedebant pervia regna,
Inque lares duxit patrios disjecta metalla,

Cum

Cum medius victori alter se subderat orbis:
Ingenium tenui cohibet tamen angulus in re,
Ut tenues captet trippas Jovis armiger ales.
Progredimur tandem miseri ratione, modoque,
Quo bullata cavum scarabaei stercora ducunt.
Hic impune diem consumit totus in illis
Rancidulis pastus nugis, fatuisque cavillis:
Alter rixatur de umbra pascentis asellae;
Hic numerat fetas, nigris studiosus in ovis:
Gallina nihil esse putat jam rarius alba
Iste, negant alii praelatis muribus albis,
Ridet & ille viros, quorum quoque gloria nostrum
Usque viget tempus, quoniam viget. Euge quid alter?
Haec eadem sequitur stipes vestigia; nempe
More suo damnat quidquid non vidit, & ejus
Non oleat bracchas: odor est, qui judicat, atque
Damnat, & in trutina scriptores ponit eadem.
Sed Bembo, atque aliis plaudunt quoque discipuli sex:
Bembo, qui juvenum lactat praecordia; namque
Ut sibi primum aptat manicas, distentaque omaso
Membra locat, turba juvenum spectante, cathedra,
Et patulum pascit subtili pulvere nasum,
Incipit. *Acta meo vobis monumenta labore,*

Vel

Vel ſudore magis, trado; ne ſancta magiſtri
Exagitata Sophis temnatis dogmata priſcis;
Et vigili nimium ſtudio eſt opus, ut nova mentis
Machina conſurgat, ne dives poſtmodo fructus
Ingenii pereat, nec ſpes creſcentis oliuae.
Hoc agite, o juvenes, quamvis nova ſurgat ab imo
Littore, turba hominum, quae noſtros ſtulta labores
Inſanos reputet, nec tantum rideat: horum
Me miſeret, pueri, ipſe ſed indignor, quod inanes
Dum palpant tenebras, culpent in luce nitentes.
Se ſolum Sophiae privam decerpere laurum
Poſſe putant, macula eſt quoniam ſub ſole reperta;
Turbinibuſque novis credant conſurgere ſidus,
Atque errare capras, & citra concava Olimpi
Neſcio quid, quod ſaepe ſuis ſcripſere libellis.
Illum ego deſpicio, qui ſcit quaecumque ſub imis
Ignea vis agitat terris, ſi condita neſcit
Entia productis effingere ſyllogiſmis,
Aut quidquid noſtris agitatur, ſolvere rixis.
Haec ego non frangam miſeris conchilia? mentes
Non tangam inſanas, & ſolis paſſa chimeris.
Ingenia? & nutrita meris praecordia bettis?
Hinc vultus pallor, tumidique abdominis ingens
Artocreas, quo ſaepe ſonat domus ima, nec ejus

Ae-

Aereas vacuant folles, crepituſque coercent
In capitis lucrum, quorum limatur odore.
Hinc illi ingenii partus, ſubtilia manant
Argumenta Sophi, tali circumlita viſco;
Quae poſtquam longum deducta in tempus, & omnem
Pectoris evacuarunt bilem, nil ſibi quidquam
Verba volunt aliud, præter ludibria, quorum
Sunt ſoliti tantum phaleris contexere rixas
Ad populum, atque eadem libris mandare ſueſcunt.
Quorum, Bembe, tua fertur longiſſimus ordo
Bibliotheca, arciſque capacibus accumulatus.
Delicias animi vocat hos, magnique laboris,
Delectantque domi, peregrinanturque fideles
Cum Bembo aſſiduo comites, & ruris, & urbis,
Evolvitque omnes, cubitoque reclinis in uno
Ingentem pueris meditatur prodere maſſam,
Quae celebri Bembum donabit nomine, quamvis
Condiderit librum ex omni farragine plenum,
Qui nil a vario diſtabit forte moreto, (1)
Ruſtica defeſſis contundere quale ſolebat
Teſtylis agricolis, ventri non utile noſtro.
Hic furor eſt hominum, magnam cumulare papirum,

Cla-

(1) Teſtylis & rapido feſſis meſſoribus aeſtu
Allia ſerpillumque herbas contundit olentes. *Virg. Egl.* 2.

Clarior ut pateat *formae* ſententia, plures
Quam attigerat obiter prius: ut libet eſto, Petili,
Sed modo quam tractas alio an diſcrimine pollet?
Nimirum argumenta libri ſolum arte prioris
Aſtuta mutas, furtimque excerpta *Pàlanco*
Adjungis non pauca, tuoque volumine poſthac
Edita conſpicimus, furemque, artemque probamus,
Ingeniumque ferax, quo rebus nomina jungis
Auctorum, ſyllogiſmis deliria, luci
Ingentes tenebras, queis perdere diſcipulorum
Ingenium citius poſſis. Sic codicis ampli
Haud aliter creſcunt frondes, noctique corymbi,
Horridaque extenſis fit numquam pervia luci,
Silva comis: ſed tunc vario reperire viarum
Inflexu tentant verum. Hic pueri labor ut ſe
Eximat a tenebris; neque enim dignoſcere noſtris
Difficile eſt oculis, quae ſunt objecta, magiſter
Horridus ajebat quondam Verronius: eſt jam
Tricae opus, & verborum aenigmate, ut ipſa juventus
Excitet ingenium: hac credo ratione tenellis
Reſcribenda dabat pueris centena papyri
Ingentis folia, & nondum compleverat una
Materiam ingentem foliorum quaeſtio, nec dum
Argumenta ſatis pueris obſcura putabat,

Quae-

Quaerere uti poſſent naturam *Perſeitatis*.
In ſolum migrat ſapientia mentis acumen,
Perficitur ſolis vocum ſapientia rixis.
Spernitur hinc juvenis, ſi inter varios labyrinthos,
Gyroſque ancipites verborum, ſolvere ſeſe
Non poſſit, ſcopuliſque incertus adhaereat, aut ſi
Jam reſponſuro citius non regula conſtet.
Poſthume, dic age dulce caput, nigrum inter, & album,
Intererit quidquam, quod mens neque fingere nigrum,
Necve album poſſit? Quid ais, deſiſte morari:
Nonne erit *Ens* medium? Nequaquam. O prodita
Cornua! ſic ego te docui? numquid, Periſoni, (fronti
Illud erit medium, quod mens ſibi fingere poſſit?
Sic ſane: Sophiae te laurea cinget. Euntes
Inſudare jubet pueros in rebus iiſdem,
Rixari inter ſe, contendere; donec in illa
Verborum rixa conſumptis menſibus octo,
Nil aliud pueri tractant, niſi *Perſeitatem*.
Parte alia inſudat Nerius, multumque laborat,
Maxima ne pereat verborum ſumma, novique
Dogmatis, aſtutum mentis noſcatur acumen.
Heu! quibus o ſuperi tormentis deſtinor iiſdem,
Ut bimus veſtras porcus jugulandus ad aras!
Optandum foret hoc potius, quam dura polire

Su-

Subera, & incultam raſtris proſcindere ſilvam,
Quae nullo ſubtrita meo molleſcit aratro.
Tertia jam noſtros deſpectat luna labores,
Et nondum vobis magnum affulxit *Baraliptou:*
Altera quin etiam tandem excutienda minatur
Quaeſtio, ne cautem ſemper volvamus eamdem.
Quare age, Fonteii, me ſaxis exime ab iſtis.
Quid tenebrae? luçis praemiſſa *Carentia*, quid lux?
Nil praeter nigrae converſa *Carentia* noctis.
Quam bene, ni ſero ſaperes. Aldi edere quidquam
Poſſumus e nihilo, atque modo convertere eodem
In nihilum? minime: heu caput inſanabile! nam quid
Ultra expectandum? mutabis ſulphura vitro,
Aut circo in medio carrum portabis avitum.
Hoc melius, quam hebetes praebere docentibus aures.
Non aliter vanae meditantur ſomnia mentis,
Bullatiſque tumet ſemper ſapientia nugis.
Sic paſſim noſtris naſcuntur in urbibus acres
Autolyci, ingenioſa mutant qui arte lycaei,
Candida de nigris, & de candentibus atra,
O fuſcas hominum mentes, quibus abdita ſemper
Rerum materies, in nugis tempora ludunt
Noctis amatores bubones! Sed quis Orontem,
Durum aut Nomacrium poterit ſecludere ab umbris,

Aut

Aut prohibebit adhuc ne ſeſe jactet in aula,
Cum cornuta ſuis, nec diſſolvenda magiſter
Diſcipulis procudens argumenta, ſuperbam
Saepe ferit frontem, ut mentis mirentur acumen?
Haerent illi autem ſtupefacti aenigmate cujus
Ignorant ſenſum, obſcuraſque ex tripode ſortes;
Sed laudant cum delirat magis, & magis illos
Vocibus exterret, quoniam tunc ardua res eſt
Verborum capere ambages, & nomina tanta.
Sic puer eluſus doctoris firmate, noſcit
Poſſe duas cauſas *effectum* gignere *eumdem*,
Poſtquam nimboſa caligine palluit excors,
Attonituſque haeſit, veluti ſi ex nube Celaeno
Praebuerit ſeſe ſpiſſa ſub nocte videnda,
Aut lamiae, aut manes ſaganaea voce vocati.
His ergo exemplis imitari aſſueſcet alumnus
Doctorum voces, ut pullus hirundinis, atque
Has, aliaſque etiam, jam natu grandis, eaſdem
Expediet, cum doctorum ſuccedet honori.
Sic longo poſthac natorum ex ordine tota
Poſteritas evadet barbara: quin prius omnes
Natura vertente vices crocitare videbis
Ad numerum cignos, Romam dare jura Britannis,
Atque Tago immixtum Tameſin, quam ponere priſca

Doctores videas patrum documenta, ſuaſque
Eſquilias, magni aut venerabile Numen aſilli.
Nonne tibi videor, Sextili, verus? & iſta,
Digna meo riſu, mentis jocularia? Sed ne
Te morer invitum ſanus, dum caetera luſtro,
Quae noſtris alimenta Sophis dant paſcua; totos
Percenſe Hiſpanos: quotus eſt qui hac utier arte
Ediſcat ſapiens? percurras gimnada, circos,
Exedras, aulas licet, ampla theatra, Lycaeos,
Conventus demum, & quidquid ſibi condidit ingens
Turba Stagiritae, crepet ut deliria mentis.
Omnis in *enticulis* verſatur quaeſtio, formas
Immiſcent formis, nihilo nil, & vice mentis
Agnoſcunt ſociata procul, pugnantia cornu.
Hircus cervus erit, taurus leo; cunctaque demum
Cognóſces animalia, ſi procul aſpicis umbram: (1)
Umbra quidem, ſed quae multos agitata per annos
Diſcordes habuit ſectas, odioque diurno
Egit Aquinates, totoſque in bella coegit
Jeſuadas? Utinam bello melioribus uſi
Auſpiciis voluiſſent parcere! maſcula bilis

Im-

(1) Quaeſtio eſt ultro, citroque agitata Jeſuitas inter, & Dominicanos, de *praeſcitione objectiva*, quam dicunt, quaeque multas agitavit rixas.

Impulit insignes animos, ut fortibus irent
Hostibus adversi, magno in fervore duelli,
Quod duraſſet adhuc, niſi concita fulminis ictu,
Corrueret late communi machina clade
Jesuädum, toto quondam ſpectabilis orbe.
Ah! nimium quantum verum eſt: haec ſola cruentas
Non obſcura ſatis, concivit quaeſtio rixas,
Et juvenes thracas letho dedit. Ocius ite
O pueri, immemores patriae, & virtutis avitae
Exagitent animos vigilantis ſomnia mentis,
Parcite Palladium ſaltem temerare cubile,
Et tantum prohibete nefas: victoria lauros
Ingenio nectit pacales: diſcite vero
Cedere; ſola haec eſt Sophiae, quae maxima laurus.
O! utinam tales affixas forte liceret
Cernere veſtibulis, mediaque in luce Lycaei!
Sed rapit invitos nova vis, aliudque ſuadet
Mos vetus, & menti dudum, qui occalluit error.
Trica placet, *moduluſque* rei, *formaeque priores*,
Materieſque ſonus, pinuſque affixa tabernis. (1)
Hoc juvat in magnis ſemper producere circis,
Et tota clamare die, mediiſque virorum
Conciliis afferre, quibus plerumque probatur.

(1) Altera eſt, e tabernis petita quaeſtio de *Signo ſui*.

Huc demum adducta eſt ſapientia: perdere guſtum
Ingenii, & verum Sophiae contemnere honorem,
Nil agere, & vitae tempus colludere, ventos
Ictibus inſtigare crebris, in ſtercore ſedem
Figere, nec quidquam fumo obſcureſcere mentes,
Clamare, & rixari inter ſeſe. Haec nova noſtris
Inferta eſt terris ſapientia, ſolaque inanis
Semita, barbarieſque ſitus; nam barbara ſolum
Pectora contingunt, quae maxima: tolle ſaporem
Ingenii, illiuſque potes decerpere palmam,
Vel caudex, vel bardus; bardo cedet honori
Priſca aetas, & tantae curret ad oſcula frontis.
Interea nullae artes; nullum Hiſpania vidit
Tota Mathematicum, (1) dignum nec Apolline vatem,
Aut Phyſicum, noſtris nec rhetor cernitur oris:
Ni primum teneram ſubducat ſorte Lycaei
Limine jam plantam, doctorum aut ponere priſca
Dogmata condiſcat: ſola haec medicamina morbo
Dicimus; his uti ſi non vis, pallidus urge,

Et

(1) Ne id libere dictum a Poeta videatur, eos culpat ſolum, qui unicam Philoſophiam amant, & colunt. Nam ut alios omittam non potuit non cognoſcere Poeta civem ſuum virum clar. Georgium Joannem, qui quanti fieri debeat, docent magis exterae gentes, quam Hiſpani. Nec noſcere non potuit virum praeſtantem Antonium Eximenium, a Rege Catholico CAROLO III. Scholae Segovienſi Mathematices praepoſitum magiſtrum.

Et macie infesta curres acceptus Othoni.
Sin minus, his mecum socius bonus utere, nec te
A tenebris mentem, melioris ad usque nitorem
Pierii nemoris, non erexisse juvabit.

SERMO TERTIUS.

Enumerantur primum auctores ſcholaſtici, quos tam difficile profitetur Poeta enumerare, quam multae ſunt ipſorum molles, non niſi mutuis furtis concretae, & multa rerum omnium farragine, qua facile ipſis fuit quidquam grandius complere. Antiquum autem Ariſtotelicorum omnium in ſuos auctores amorem, praeter alia, exemplo praecipue declarat Jeſuitarum, qui exules licet, antiquos ſcholaſticos auctores, jam diu in Italia ſepultos, ſuorum ſtudiorum inſtituendi gratia, excitavere. Logicam demum, Phyſicam, & Metaphyſicam percenſet, quae cum innumeris ſcaturiant nugis, praeferuntur tamen Newtoni, aliorumque ſyſtematibus recentiorum, qui multum a doctoribus contemnuntur.

NE tibi quae fueram, Sextili, ſaepe roganti
Pollicitus, nec me veracem poſtmodo, ut ante,
Si quidquam tardus peccavi, forte requiras;
Hac jam parte tibi invitus dependo: nec illud
In proclive jacet: quando prius omnia dicam
Furta Jovis, vel quae per grajas indita gentes
Nomina Bacchus habet, juncoſo aut littore Boebes,

Quod-

Quodquod lecta tenet vivacia gramina Circes,
Atque peterratas Cereri cum lampade terras,
Quaereret ut raptam lethaeo a conjuge prolem;
Quam tantas poſſim ſcriptorum dicere molles,
Nominaque, ingenteſque libros, quos prodidit olim
(Quamvis conſenuit nondum) foecunda Sophorum
Noſtratum Dea, getuliſque feracior agris.
Felix prole virum, nec enim tot viderat uxor,
Aut Priami mater poſſet numerare nepotes.
Scriptorum non parva ſeges; quippe omnia magnis
Plena voluminibus cernes nunc ſcrinia, quorum
Pondere curvantur, niſi curas ocius illa,
Aſſiduis cautus fulcris reparare, Tigene.
Hercule non faciam: me ſedulus eximet emptor.
Laetor merce tua, ſed majorem tibi quondam
Gallia praeſtaſſet, niſi jam pridem pepuliſſet
Horridulum (1) Numen, ſibique eduxiſſet in auras
Heroes alios, qui prima ab origine cauſas
Inveſtigarent rerum, veſtigia prima
Auſi deſerere, & ſeſe met credere luci
Nullo auctore viam monſtrante. Sed optima merx eſt.
Quae major: quid enim mihi mercatura dolata
Pumice nunc prodeſt, populo ſi diſplicet, amplos

(1) Ariſtoteles nimirum ut in reliquis ſatiris.

Dum ſequitur titulos, & magna volumina quaerit
Quae tineae rodant arabes, atque omnia tractent
Priſcorum illorum, vanae jocularia mentis?
Erravi fateor; laetor tamen agnoviſſe
Noſtratum guſtum, ut magnis a fontibus hauſtus
Ducere maluerit, aut grandi e flumine, quam de
Fonticulis per deſertos errantibus agros.
Hoc juvat ut doctor ſitibundus proluat alvum
Ingentem, & poſſit pallere decembribus, annos
Exſuperet licet Aeſonios, iterumque juventam
Ducat ope, Medaea tua, mentemque priorem.
Deficient vacuum libri te, nec tibi vitae
Sufficiet breve ver, totas ut volvere molles
Auctorum poſſis, totoſque ediſcere ſenſus.
Angeris ut video: ſed ne fruſtrere, vel uno,
Judice me, reliquos poteris cognoſcere, libro.
Atqui quaerebam id ſolum; verumtamen hoc eſt,
Quod totis, niſi tota legam, me haurire putavi
Saepe voluminibus: multis attingere verum
Pronius eſt, quam uni ſolum; quodque omnibus olim
Ignotum fuerat, ſapienti contigit uni,
Quodque Sophis latuit priſcis, peperere recentes.
Haud ſatis id laudo; ſed miror, qui novus auctor
Ediderit nondum quidquam, quod diſtet ab illo,

No-

Nobile necve aliud tentet, nec pectus anhelum
Tollat humi, ſuperaſque celer volet ales in auras?
Sed tibi ne videar mendax imponere; paucos,
Si vacat, & lubet, auctores ſcrutare minores.
Te nitidus *Loſſada* vocat, curre ocius; iſthic
Invenies quidquid ſcripſerunt ordine eodem
Auctores alii, Sophiae qui jura revolvunt
Omnigenae; cernes veros in imagine vultus,
Effigiemque etiam, tabula ſed diſpare, eandem.
Hic quoque praeterea (ſed cui ne dixeris, hoc nam
Committo tacitus) Thebana aenigmata noſces
Nominibus donata novis, quae non tenet ipſe,
Qui tulit, ut guttur referat dehinc praemia rixae.
Huc ades; agnoſcis titulum, quo lumina pandit
Nocte *Pharus* [1] *Sophiae*, tenebriſque niteſcere cernis?
Haud aliter ſplendere ſolent *Phraſenius*, atque
Manriquius, *Mellutuſque*, ejuſdemque farinae
Mille alii, ſcriptorum quondam quae leges ingens,
Et dives palea, at fruſtra expectabis ariſtas.
Hic ſcribit quaecumque videt; mox concinit alter
Ipſa eadem, paucis detractis rebus, ut illi
Qui tulit exemplar ſolum adverſetur, & amplam
Ex-

(1) P. Izquierdo, qui opus ſuum inſcripſit: *Pharus Scientiarum*.

Exſuperat folii mollem, ponduſque. Quid inde?
Protinus accurres tactus prurigine monſtra
Omnia naturae mirandi (qualia magni
Promittit menſura libri) vel prandia dia
Coelicolum, Coeloque moventes bella Gigantes;
Ridiculum tanto montis de vertice prodit
Enticulum oſtenditque caput, turbamque Sophorum
Exagitat dubiam, durumne, an ductile; quando
Longa ipſos inter contentio prodiit, atque
Uritur infelix caput, & praecordia ducunt
Vocibus immodicis, quin lis ſolvatur inepta,
Non aliter totam pueri clamoribus urbem
Conquaſſare ſolent, triviis ſi forte volantem
Intenti ludo viderunt papilionem,
Quem late ſaxis, magno & clamore ſequuntur.
Nam quid erit puerilius? ut res ponderis expers
Omnis, inutilis, exilis, contemptaque, iberam
Exagitet majeſtatem, criſpataque colla,
Ingeniumque grave, ac ingentia praela fatiget?
Sed plebi placet illa magis, digniſſima magno
Materies opere, atque ingenti aptanda coloſſo.
Exiguum facile eſt cuivis formare libellum;
Sed tamen ingens nil, quos nos miremur habebit,
Ni pluteum poſſit magnum complere, nec illi

Ma-

Major ſufficiat toto membrana juvenco;
Quem puer admirans contingere gaudeat, atque
Hunc ſuper incumbens reputet ſe doctor ineptus
Accepiſſe Sophi nomen: Tintigine tactus
Laudis inexpertae, majoribus invidus actis,
In titulos pronus fertur, faciliſque; ſed illi
Arriſere parum, nimia brevitate quod auctor
Utatur. Jam tum majores concipit hauſtus
Emendandi ampli titulos ſcriptoris, ut ipſe
Prodeat in lucem noviore volumine, grandi
Fronte tumens tituli, biſexquipedalibus utens
Nominibus, ſummaque locans in turre Minervam.
Quam libro invenies medio, vel vellera fuſo
Torquentem, aut turpes ſectantem cuſpide mures.
Quid prodeſt igitur magnum impleviſſe volumen,
Si nequeunt molli res reſpondere, nec ultra
Tendere opus ſcriptor poſſit, niſi compleat illud,
Quod ſupereſt vacuum, ex omni farragine? malo
Myrmecidis [1] muſcam cui conſtent omnia, quam ſi
Haereat immani quidquam deforme Ciclopo,
Rideat, ut poſthac ſpatioſae lampada frontis,
Parvulaque ingentes ludat Galatea gigantes.
Scripſere indocti, doctique volumina paſſim;

Hos

[1] Myrmecides minutiſſimorum operum opifex mirabilis.

Hos dedit ingenium, illos exemplaria, utroſque
Decepit ſapor, ac aetatis barbarus uſus,
Qui inſervire ſuis cogebat pectora nugis.
Ruſtica doctorum, nil tum ducentia grande,
Ni priſcas ſaperet bracchas, crepituſve gelonos:
Quem modo noſtra recens retinet quoque nobilis aetas
Nec facile amittat, nec poſtera deſeret, uſum;
Ni edicto jubeat regalis quaeque poteſtas,
Arcere Hiſpanis Numen de finibus, olim
Ut Romana Sophos excedere curia juſſit,
O! ſi tangeret haec noſtros nova gloria reges,
Civium amor, Sophiaeque decus, nec funditus artes
Torperent tenebris, nec poſthac dogmate gentes
Riderent noſtra, aut ſcabies foediſſima frontes
Turparet, nec limo haereret Iberus eodem.
Interea ſperare licet quoniam, incipe rurſus
A diverticulo, & campo curremus eodem.
Tollitur ex tenebris liber ingens, atque nitenti
Fronte patet minio inſcriptus *Quirotius:* atqui
Redditibus datur aucta novis ſapientia? Sed te
Alterius ludet verbis, & pagina eaſdem
Producet priſci ſcriptoris proxima, tricas,
Diſſimili ſolum textu: mox [1] *Linceus* exit,

Et

[1] P. Linceus auctor illius maximi momenti, politae-

Et fingit ſibi diſſociandas eſſe Petili
Particulas animae, mentis virtute; nitenti
Ut daret ingeniis fumum de luce, ſuiſque
Horridior fieret tenebris ſapientia, fuſis.
Ergo haud iſta placent illi, quem dicere verſu
Durum jure vetat nomen: (1) celabitur ergo,
Hunc quandoque ſuum meritum dat nomen honorem.
Molle tamen tumet ingenti, quam terga ſubire
Vix poterunt liguris, nervoſaque brachia Galli.
Quid tamen invenies quod non prius omnia chartis,
Mandavere eadem ſcriptores ſenſa priores?
Scilicet in lucem voluit prodire volumen,
Iret ut inficias eductis entibus, atque
Formis, quas prior eduxit ſcriptor, nec ab illo
Diſſectum tantum diſcederet horridus unguem,
Ni majore ſuam impleſſet fuligine mollem,
In nigra veluti Vulcani incude dolatum
Brontis opus, Steropiſque, & curvis cruribus Argis.
Impoſuit miſeris quondam inſatiabile doctis
Scribendi cachoetes, ſic per mutua rerum
Furta, brevi innumerae creſcebant tempore, molles
Librorum, foliis uti ſilva carduus amplis

Innu-

que quaeſtionis de *Diſtinctione virtuali maxima*.
(1) P. Arriaga.

Innumerus crescit, pluviaque oriuntur opima
Limaces, fungi, atque pulex inimica poetis.
Nam facilis labor est alienam rodere quadram.
Non alia auctores nobis ratione supersunt,
Qui nullo inter se distant discrimine, praeter
Nomen, & in titulis, quod differt ille, vel alter
Mutatis, hic argumento insignis acuto
Solum, omnes tenebris; ad caetera poene gemelli
Ingentes, dubia tamen orti a matre bilingui.
Hic vero formam tractat perfectius *Entis*.
Innumeris postquam se muniit argumentis,
Nondum tuta satis talis, armisque putavit,
Conquassata forent si propugnacula ab hoste
Assiduo. Quid enim? Concurritur; ipse minaci
Signa movet vultu, sibique adversaria tela
Injicit, admotisque capit subtilibus hostem
Insidiis. Quis cum legat haec risum cohibebit;
Si cum pro capite, ac vita, laribusque, focisque
Credat agi bellum, postrema in margine libri
Versarique pilum videat, ducique caprinum:
Huc, atque illuc; quando jam centesima surgat
Pagina? & ipsa pilo nondum finita, morentur
Jurgia? deque tribus sit lis incepta capellis?
Quorum si extaret judex, non illa *Palaemon*

Ar-

Argueret, quamvis ſcribat, mutet, deleatque,
Addat & his alia, ut melior ſententia conſtet;
Sed verum majore libro fumoſius exit.
Exemplar fallit vitioſum ſaepe latrones:
Hoc nocuit noſtris ſcriptoribus, atque coegit
Addere priſcorum vitiis, vitium quoque majus,
Ut ſua praetulerint vitiis melioribus, illa
Contemnant ſolum, quoniam novitate recenti
Adduci nequeunt: tanti exemplaria fiunt
Majorum, quamvis noſcant pejora recenti
Doctores opera, tenuique minora, libello.
Quodque magis miror, magnum eſt: cum tacta ſiniſtris
Jeſuadum fatis eſſet vaga turba, ſibique
Italiae dictas peteret laevo omine ſedes:
Fama per extenſas praedixit garrula terras,
Commigrare Tagum latio, & pretioſa metalla
India quae nutrit, vel dives (1) Amazones, unde
Jeſuadum plenis diteſceret Italus arcis.
Sed male conceptum corvos deluſit hiantes
Augurium, cum ſcriptorum (mihi credite cives)
Proſpicerent duci non credita pondera, molles
Sola Stagiritae, quae ſecum ſacra ferebant,
Eruta ab excidio, flammiſque erepta profanis.

Quam-

(1) Americae flumen maximum.

Quamque prius repulit, tellus habet Itala rursus
Ingenii mercem, veteres qua bibliopolae
Diteſcent magis, aſſiduus quam merce recenti
Caracae molitor, quamquam exemplaria multo
Pulvere plena forent, & ſolus inutilis, ingens,
Impleres magnas, *Urtade* miſerrime, menſas.
Sed nunc conſpiciendus adhuc, manibuſque terendus,
Viſuruſque iterum ſurgis poſt fata nepotes.
Ferte Sophi lauros, & plenis ſerta caniſtris
Fundite, *Durando* danda eſt Phoebaeia laurus,
Impediendumque hoc caput eſt, quod preſſerat aetas
Italiaeque ſapor ſummoverat. Ocius ite
O pueri, & totos hortorum ducite honores,
Ut timeo auctori deſint ne tegmina tanto;
Quippe venit ſocius lauri *Peinadus*, ab imis
Quem nuper duxit Piſtor, priviſque tabernis,
Nec renuet tales etiam *Gaudinus* honores,
Atque *Duhamelius*, quos eſt *Fonſeca* ſecutus.
Quorum audita metu ſic expavere Camoenae
Nomina, ut attonitae fugerent per culmina Pindi,
Haud aliter, quam cum placida ſub nocte puellae
Najades in viridi ſi quando gramine ſylvae
Ad numerum ſaltant, bubonum voce repente
Pallantes fugiunt audita: & verſibus ultra

Mon-

Monſtra meis cerni vetuerunt talia muſae.
Unde volens parui; quis enim nova nomina, & amplum
Percenſere queat numerum? ſi ſarcina tanta eſt
Amphitrioniades quantam vix Herculis armos
Ferret, cum Oebaliam victor poſuiſſet, & Oetes
Iret in excelſum nemus? Aſt e foece Sophorum
Tanta, quem das exemptum? Nullum, Hercule, nullum:
Omnes ranciduli, horriduli omnes, priſcaque ſolum
Omnia captantes mentis conchilia, cujus
Evacuant ſenſus, diffuſis undique nimbis,
Saepe quibus libri exornantur; caetera complent
Chartarum mollem, ut decorent deliria, ſub queis
Conditur infelix ſapientia, ut inde remoto
Contectum poſſis cognoſcere tegmine verum.
O te felicem! cum primo in limine cernas
Quiſquilias, caſaſque nuces, ramentaque, ſannas,
Et quidquid praefertur puris ad uſque cloacam,
Univocas rationes, aequipolentia ſigna
Reddita ſorte pari, haecceitates, illeitates
Omnimodum entitulum, ludo pila digna, Sophorum:
Innumeraſque alias, renuit quas promere foetor,
Ornamenta libri, formas. Mihi credite, cives,
In puteo numquam latuit verum; alta fuere
Somnia Democriti, poſtquam ſe lumine demens

Orbavit; vos, vos, veſtris ſervatis in actis,
Unde patet nulli; rimentur viſcera quamvis
Naturae, quaerant armamentaria gentes
Coelicolum, parvis etiamſi grandia jungat
Machina, coeli, terrarumque arcana recludat;
Codice in Hiſpano tegitur ſapientia ſolum,
Me ridere putas? feſtivo aut ſcommate tantos
Ludere velle viros? Ergo nunc ſerius ajo;
Sola Stagiraeis patuit ſapientia; quando
Inficiata meae fronti eſt muſtacea laurus,
Cum me Pierides revocarunt culmine ab alto,
Depoſitoque acceſſi tantum codice, Pindum.
Verum haec, quae divae bene vertant, damna redemi,
Cum noſtri miſerata, illiſque adverſa Sophorum
Calliope nugis, rerum cognoſcere cauſas,
Atque vices dedit, & tenui producere verſu.
Ergo age, & alterius libri faſtigia vince:
Si expendis Phyſicam, quota pars erit integra, quae ſit,
Dicier aut poſſit Phyſices? fuligine dempta
Invenies nullam, foex tota retecta patebit
In lucem, oſtendatque ſuum ſitus ipſe pedorem
Corporis illa tibi Phyſici *Privatio*, prodit
Principium, atque facem praefert jam limine in ipſo,
Materiae ut noſcas redimicula, quas ſibi formas.

Poſ-

Poſcat, ſint quales; nigraene, an candidae; earum
Quae princeps, & materiae quae maxima nutrix?
Hinc cauſae ſimiles: ſapiunt quippe omnia gypſum,
Nec veram ſpectant Phyſicem, niſi mutua rerum (1)
Credere, cauſarumque velint fomenta duarum,
(2) Et me ſi aetneus Romae, Vulcanus adurat,
(3) Biſtonioſque procul teſleam novus incola campos;
Et binas habitem terras. Mille adde figuras,
Et dudum vetulis oblita oſtenta culinae,
Cauſaleſque ignis *vires*, & furfuris hujus
Quiſquilias alias nuce caſſa vanidiores.
Materies tamen haec, quae magna voluminis, atque
Toto digna Sopho, ac annis, pluteoque diurno.
Adde Metaphyſicem: unde & quo mihi nomen? An illud
Prima renaſcentis traxit doctrina Lycaei?
Sic referunt Lippi, atque in primis fertur, inepta
Illuxiſſe viris Sophiae pars poſthuma: ſed tu
Dic age, quid pendes? ut males ordiar; eſſe
Commoda ſola Sophis didici proſcoenia, ubi altas
Enticulis moveat commixta *carentia*, rixas.

(1) Quaeſtio in Philoſophia agitata de *mutua*, ut dici ſolet, *cauſalitate*.
(2) De cauſa extra ſphaeram ſuam divinitus agente.
(3) De Bilocatione divinitus facta.

Attamen eſt quod laudem, inſani ne arguar; horum
In manibus poſitum quidquam, quod tollere vellem,
Aquae voluminibus: qua ergo ratione requiris
Id faciam? ingenuam laudo, ductamque poeſim
Culmine ab Aonio, cantus modulamine ducor,
Concentuque lyrae; ſed raucos culpo coraules,
Indoctum miſera perdentes carmen avena.
Caetera de genere hoc, etenim ſunt plurima, noſtros
Quae culpant exempla Sophos, fatuumque laborem,
Conſumptum in nugis tractandis, atque meracis
Ingenii tricis, queis magna volumina proſtant
Bibliopolarum aſſiduis vendenda columnis,
Gloriolae novus ut doctor tintigine motus
Emat, ut ipſa queat ſcriptoris ſenſa referre,
Adverſuſque dehinc, plenis obſtare theatris,
Si indignum quidquam naſcatur; non quia durum
Illepidumque putet, ſatis eſt ſi ſit modo natum,
Et nondum auditum, vel ſi adverſetur ineptis
Doctorum placitis, Lembi qui ſcrinia complent.
Accidit ut nuper, cum lecto codice Baldus,
Conventu coram doctorum percitus ira,
Implevit magnum fatuus clamore theatrum,
Et pugnis quatiit demens ſcamnum; Orphea qualis
Threicium Bacchas quondam cum vidit Agave

Cum

Cum ſociis ululantibus, & quatiantibus altos
Inſtrumenta irarum Thirſos; talis & ille
Se geſtit, cum propugnator riſit ineſſe,
In media ignis centrum luna, atque aſtra vagari
Spiritibus compulſa polo coeleſtibus, unde
Erueret toties defeſſum machina Numen,
Cogeret, & nigras Hiſpanus adire tabernas.
O nos inſulſi, fatuique! quibus nova rerum
Impoſuit falſo ſpecies, durumque probamus
Newtonum, veros cum contemnamus honores,
Atque Stagiritae mentem, ſanctumque Lycaeum.
Jam poſthac noſtram non cinget laurus Ibera
Frontem, nec patriae rediment mea tempora palmae:
Sed patiar tantum peccato immunis, & exul,
Dummodo me viridi praecingat Gallia mirto,
Itala nec tellus renuat, quos praeſtat honores.
Nam cur liber ego vero mentitus, ineptis
Blandiar, & patriam inſimulem non proditus hoſtis?
Quandoque ingeniis faveam non diſpar ab illo,
Atque animos laudem generoſos? quin mihi bilem
Excutit hoc ipſum, videam cum repere terram
Ingenium, quod poſſit ſydera tangere, & arces
Aethereas animo ſcrutari. Sed furor ipſos
Abripit inſanus coeca ratione movente,

Et veteres patrum mores, reverentia cani
Nominis, atque Stagiritae ſacer horror, & illa
Rerum vana ſuperſtitio, ſed qualis ineptam
Vexat anum, quae priſtina ſaecula vidit; & ejus
Temporis, ingenuos juvenum denarrat amores,
Et veteris ſylvae miracula credita cantat.
Omnia nunc ſordent, poſtquam nec vacca locuta eſt,
Nec Jovis inſonuit per purum fulgere currus.
Cunctaque praecipiti curſu delapſa putantur,
Ingenium quoque: nec vincat, qui forte priores
Creditur eſſe Sophus: ſordet Cartheſius, atque
Ticco ingens, nec non Copernicus, utpote nondum
Barbati, quamvis fuerit *Loſſada* ſecutus,
Et tamen his priſco donatur jure Lycaei.
Accrevit verae laudis contemptio cunctis
Mentibus horum hominum; doctum nullumque videbis
Addictum ſtudiis, ſapiat cui ridiculum cor,
Aut virides betae, cui non praecordia nomen
Ruſtica Newtoni moveat, ventremque tumentem
Sectilibus porris, & rappis Pythagoreis.
Quid tamen in magnis vidiſti auctoribus, ut ſic
Deſpicias? nemo poſcit ſuffragia, nullus
Delator, doctore tamen ſub judice victus,
Adſcriptus Sullae tabulis Malebranchius ibit,

Cum

Cum Boylo, quoniam ſolo de fonte Lycaei
Sola Sophi credit naſci veſtigia, magna
Palladis ingredier penetralia, noſcere ſolum
Naturae cauſas, doctamque excerpere laurum.
Culpa quidem ſtulti; quod enim ignorantia majus
Crimen habet, quam ſe ſolummodo ſcire putare,
Quod neſcit. Durum eſt, fateor, concedere cuiquam
Ingenio; ſed turpe etiam, ac miſerabile nullum,
Se praeter, ſapientem ducere; cum nova turpes
Detegat invidia auriculas deformis aſelli
Cum rudit, atque ejus voces imitentur, & iras
Sed nil praeter agunt: ſi demas peſſima menti
Quid ſupereſt? illam deliris paſcere nugis,
Ingenioque novas effingere *Nileſtates*.
Reddere, torquere, & rurſus convertere eaſdem,
Ut poſſint aliquid deducere, quod neque nigrum,
Aut album fuerit, verum id, quod promere nolo.
Haud aliter noſtris celebrare palilia ſylvis
Sueſcunt paſtores, curtis cum fuſtibus omnes
Armati, ad numerum ſaltant, feriuntque viciſſim
Ferratam quam laeva tenet manus impigra lamnam
Alternantque vices pariter, variantque ſonoros
Tinnibus (ludit quae ſola eſt gloria) ferri.
Tritior at ne deficiat jam rebus imago;

Sic medio cernes circō, portaque Capena,
Ludere teſſerulis lixas, cum calculus audax,
Ducitur huc, illuc, varia exagitante fritillum
Saepe manu, tota impendentes Sabbatha ludo,
Quorum quaeſtus erit, ſolius maximus aſſis.
Sed tu, qui illorum noſti jocularia, me cras
Convenies bonus, atque eadem ridebimus ambo,
Dum ſe forte fricant parili, nec tollere tantam
Stigmatiam poterunt, qua cantabuntur in urbe.

SERMO QUARTUS.

Increpat Poeta ſermonis barbariem, qua mirifice videntur Scholaſtici delectari; ac primum ex Gothorum invaſione ducit exordium. Quo tempore dandam fuiſſe veniam illis ait Philoſophis, cum armis hoſtilibus facundia premeretur; quae cum exteras gentes ad priſtinum modo latii ſplendorem erexerit, miratur Poeta, qui illarum ſaltim exemplo ex veteri ſuo luto Scholaſtici plantas non eduxerint, cum non adeo difficilem, quam quae illis videtur, Philoſophiae cum latina lingua conjunctionem demonſtret, exemplo poetarum, qui rerum cauſas carminibus cecinere, non minus quam Graeci & Latini Philoſophi, quorum ut non requirit elegantiam, ſic iſtorum inelegantiam accuſat, qua & obſcurius, & difficilius res ſuas tractant.

NOn ego credideram, plenam niſi rure, vetuſtoque
Infectam limo, nuſquam nituiſſe Minervam;
Ni mihi turba Stagiraeorum oſtenderet, & ni
Teſtis adhuc naſus, veterem ſentiret odorem
Gutturis, & linguae; nidor deductus ab uſu
Legitimo patrum priſcorum, ſegnitiaeque

Gen-

Gentis, poſtquam Vindelici, ſaevique Geloni,
Vaſtaſſent agros, moreſque, & barbara demum
In populos immiſiſſent commercia, poſtquam
Servitio adductas artes, everſaque jura
Proſpiceret Latium, ſummaque ex arce repulſum
Palladium, & mendicantes ad compita muſas.
Heu decus Imperii, diviſque aequata poteſtas
Maxima Romulidum! proavitaque rerum fama!
Grande nihil durat: ſed multis parta triumphis,
Uno ſaepe ruit virtutum gloria caſu!
Roma jaces, Hunnoque jaces captiva ſuperbo,
Et Capitolina deſpectat victor ab arce
Barbarus, immixtum cineri, ſanctiſque ruinis
Eloquium Latii: nam quid victricibus armis
Obſtaret, cum ſancta Deûm delubra jacerent,
Nec ſacris victor templorum parceret aris?
Tum quoque paſſa fuit Latii facundia ſtuprum,
Vandalico cum victa ſimul, foret acta coire
Sermoni, unde recens nata eſt dialectus agreſtis,
Seu ſpuriam mavis jam dicere, ſtipite ab illo
Edita Vandalico, corrupto & fonte latino.
Sed poterat felix tunc nobis illa videri,
Ni rurſus deducta Arabum captiva fuiſſet
Servitio, & noſtris ſaperet prolata theatris

Van-

Vandalicos, Araboſque ſonos, licet illa priori
Eruat a Latio ſanctum genus, atque Quirinum
Jactet avum: rerum haec jactura, & temporis acti
Conditio! generis quid proſunt ſtemmata priſci,
Si non aequa modo reſpondet gloria? nec jam
Reſtat honoratum linguae, niſi nomen avitum,
Necve ſuis haeret vix oſſibus: attamen ipſa
Creditur aegra licet, reliquis foecundior, ut quae
Verborum cumulum, exauditaque nomina nondum
Suppetat antiquis Ramnetibus, atque Cethegis;
Praeſertim, prolata comes ſi verba ſequatur
Verbum *ſum* princeps; ſermonis machina ſola,
Et fulcrum, quo cuncta vocabula ſuſtentantur.
Hinc tenebrae, mentiſque ſolent manare cavilli,
Rixantur quoties, funduntque exotica verba,
Quae capit auditor ſenſu perſaepe alieno,
Atque agitat bilem magis, intenditque vigorem
Pectoris, ut media producat acumen in umbra;
Et ſolitum longas verbum eſt protendere rixas.
Eſt opus illa tamen venerari nomina, quamvis
Terreat effigies, quoniam ſermonis egeſtas
Impulit, ut veteres parerent ea ruſtica patres
Eſſens, *eſſendoque* vocabula: ſic facile olim
Verba novabantur; gravitate licentia crevit,

Pau-

Pauperieque patrum, ut voces cuicumque liceret,
Quae vellet, formare novas: *eſſentia* nata eſt,
Innumeraeque aliae, libuit prout cuique Sophorum
Nondum barbato; obductis quando omnia terris,
Jam conſoſſa forent Latii monumenta, ſuoque
Immixtum eloquio periturum clauderet urna
Tullium, & in madidas migraret Publius ingens
Cauponas, turpique iterum foret Illion igni
Combuſtum, atque Getas alios, quoque Naſo videret.
Arma dabant uſus, & leges arma tulere.
Nec ſemel in tenebris celebrarunt ſacra miniſtri
Palladis, armorumque inter, ſtrepituſque, ſonoſque,
Miſcuerat ſapiens clamores ſaepe moleſtos,
Et nondum clamata pili ſatis orgia nigri.
Hinc voces, & verba Sophis dedit incola noſtris
Barbarus, atque Arabum mox durus miſcuit uſus,
Ampleƈtique etiam juſſit vitioſior aetas;
Titillantque aures, laſſas imitantia ſerras,
Nam normam ſervant popularem verba, latinum
Fine tenus ſonitum, circum qui perſonet aurem,
Barbara quod ſatis eſt, ut prodat formula guſtum,
Haecceitas, *Quid-itas*, *fundamentaliter*, adde
Formalem intentum, atque *ubicatus*, *omnelitates*,
Salvari formas, *decollari*: generiſque

Hu-

Hujus, mille patent inventa vocabula, quaeque
Dicere non facile eſt, tu ſectae incumbe Lycaei.
Temporis exigui ſpatio, monſtrataque diſce,
Si vis ſcire aliquid magnum, ſapienſque vocari;
Hoc magnum praeſtant carioſa vocabula nomen,
Quae foeces ſolum redolent putentis Aſili.
Sed tamen antiqui prout aetas illa ferebat
Formavere patres, idcirco danda priorum
Temporibus venia eſt, nec in illis limpida mentis
Artibus ingenuis culturae alimenta, requiri.
Utile ſervitium quondam, ſed inutile noſtris
Hac aetate Sophis, contemnendumque, vocatis
Quando novo praebet ſeſe facundia cultu,
Et plus mille Deae latiis altaria ſylvis
Thure celebrantur, populis accepta Britannis.
Sed tamen Hiſpanus mavult veſtigia patrum,
Priſca ſequi, & veteri ſulcos deducere arena
Quam ſapere, atque novo ſancti de colle Quirini
Ducere facundos, puriſque e fontibus hauſtus
Eloquii, verumque decus, linguamque Quiritum.
Reliquias Latii miſeras! Quid roſtra, ſenatuſque,
Et caput eloquio periturum contulit olim?
Quando Sophis prodeſſe parum, Sophiaeque miniſtris
Uno clamant ore, novi, vetereſque bilingues

Do-

Doctores, quorum pleno de pectore manat
Ibrida proluvies bracchatorum arte Gelonum,
Queis satis est primis elementis grammaticorum
Institui, ut turpem circumdet laurea frontem
Et doctos inter contendant futile verum.
Nec mirum cum vix ferulam, primosque magistros
Evasus juvenis, fastiditusque latinas
Grammaticae voces, aequales inter alumnos
Gestiet (1) hircinos loculos suspendere laeva,
Atque nova tandem sapientis voce vocari.
Hi sunt, qui cathedrae paulo post, sede locati,
Jura dabunt aliis, doctorum & honore probabunt
Donati, illuviem veteris dialectus, & atram
Sermonis maciem: nec erit tanti ut Ciceronem
Cum (2) Nebrisensi doctor conferre disertus
Audeat, aut Latiis etiam scriptoribus ingens
Invideat Bravus, praelatus judice Baldo.
Proh pudor eloquii! proh nostri dedecus aevi!
Omnia spurciloquis cedunt monumenta Grutungis
Barbariae eloquium, latiae facundia linguis
Nostrorum foedis doctorum, Roma suburrae

(1) Mos est Hispanis Philosophis uti Romanis pueris loculis portare codices.

(2) Antonius Nebrisa grammaticus omnibus in Scholis Hispaniae pueris ediscendus, uti etiam Bravus.

O fruſtra noctes vigilatae, atque otia toto
Saepe virum conſumpta die, cum villula magnum
Exciperet media Varronem aeſtate ſub umbra,
Hortenſique grave audiret, Ciceronis & ingens
Eloquium, latioſque ſales, quibus ante Pelaſgae
Acceſſit Sophiae, moderante Platone Lycaeum,
Magnus honos: linguis eadem decorata latinis
Recepit, retulitque parem, ſapientia laudem.
O noctes, coenaeque virum! cum gloria palmas
Ambiguas faceret; quamvis in praelia magnus
Pythagoras, cynicuſque ſalax non aequa venirent,
Perſonaſque Sophûm ſcenis egere latinis.
Proh pudor! Heſperiis cantabat montibus olim
Tytirus, arcturum, atque Hiadas, geminumque
Trionem,
Errantesque polo Stellas, unde imber, & ignes,
Hiberni properent qui ſeſe abſcondere ſoles,
Et quanto terris major foret orbita Lunae.
Nec ſemel ad ſtipulam ſolos Silenus amores
Exegit, nec triſte pecus, ſed carmina ſaepe
Intellecta parum, Nais tamen audiit Aegle.
Quid ſi nunc eadem ſapiens audiret Iberus?
Nec qui amet ullus erit, nec qui illa intelligat aeque
Ruſticus eſt Coridon, nec qui canat apta Lycaeo

Di-

Dignus erit; latia quamvis moduletur avena
Terrarum, & Coeli latebras; digitoque timendum
Demonstret sydus campis, & aquosum Oriona:
Agrestem ista decent solum; verum ipsa Lycaeum
Accusat, duri quamvis pastoris, imago,
Et facile ostendit, quo possit foedere jungi
Cum Latii lingua, rerum sapientia princeps.
Usque adeo nil est, quod non oratio durum
Excolat, & docta possit deponier aure.

Non ego Isocratici idcirco pygmenta requiro
Sermonis, nec more suo mirothecia tota
Exhaurire volo, eloquii aut potare fluenta
Ipse Sophum jubeo: cur haec tamen optima nolim
Si afferat, aspernerque bonus, solumque requiram,
Barbara quod nunquam istorum praeludia temnunt?
Hoc carpo, illud non renuo, sed quaero Latinum
Eductum puro sermonem fonte, vel imo
Qui Capitolino ludit sub margine, rivo.
Nomina quaeque novant artes, a fonte redacta
Integra Graecorum, interdum compacta duobus
Nominibus, patrii prout fert sermonis egestas,
Et rerum novitas nondum tractata: Latinos
Sic memini fecisse patres, sic Graecia rebus,
Ex rerum eventu formavit nomina, sed nec

A Medis Graeci, aut Romani nomina ab Hunnis
Deduxere ſibi; proprios habuit ſua quaeque,
Et nata, & mater fontes lingua: ergo quid illis
Nominibus prodeſt inventis utier uni
Cuique Sophum, quae Arabum produxit barbarus olim
Uſus, & aetatis macies; cum ſermo latinus
Ingeniis eadem praeſtet quoque purius, ut nos
Edocuere Sophi nuper, queis contigit altis
Fontibus e latiis puros libaſſe liquores;
Sed clandeſtinis puerorum vocibus aures
Muſſarunt, nimium docti, cautique magiſtri,
Concilio ne forte patrum ſi crimine victi,
Quod priſcis agerent commercia ſola latinis,
Immortale ſcelus tenebris purgaſſet Ilerda.
Nullum majus erat noſtro mirabile vulgo
Portentum, Pythone magis, ſaevaque Caribdi,
Atque Apenninis ſubducto montibus Urſo,
Quam latia indutus tunica, ſub veſte Lycaei,
Proſceniis ageret latios, ſi doctor Adelphos
Exclamant periiſſe decus, ſanctique pudorem
Ingenii, nulla eſt veteris reverentia noſtri
Numinis; horrendum ſtigiae ſubmittite morti
Tale ſcelus, clamant: veluti ſi Thereus Itim
Manderet, aut furiis ageretur menſa Thyeſtis.

Sed tamen hoc monſtrum noſtris novitate biforme
In terris, quamquam mirabile, mollius agna
Extitit, & tactu, depulſa ferocia, vulgi eſt.
Te, (1) Povi, & Serrane, cano; qui dura poliſtis
Subera linguarum, latia contrita bipenni.
Vicimus eus! Sophiae dextram facundia junxit,
Excuſſitque jugum; quid non ſperare licebit
Cum tam difficilem nodum diſſolverit? I, nunc
O Puer, & virides lauris ſubtexe corollas:
Jam ſequar, ut primum expediam me; quippe Sabellus
Exclamat, Sophiam miſerabiliter perituram
Si ſua non retinet priſcorum verba, brevique
Tempore caſſuram; nova nomina quippe juventae
Durius obſtabunt miſerae, quam pellis equina
Diſtorto canibus, cum rodunt illia roſtro.
Quid tum? in verbis tempus ſolum ludet inane,
Et claſſis fiet de gymnade grammaticorum,
Alphaque jam nullum ſapientem prodet in amplum
Doctorum circum, mediave in luce Lycaei
Si-

(1) Bartholomaeus Povius Majoricenſis, qui Philoſophiam latina lingua expolivit: Hiſtoriam edidit Philoſophicam latina elegantia plenam. Thomas Serranus Valentinus vir omni eruditione excultiſſimus, qui Philoſophiae ſermone latino ſplendorem attulit.

ſiſtet honoratas poſthac facundia mentes.
Hercule non miror, ſi te modo plurimus audit
Arcadius juvenis, poſito quos mater aratro,
Ut fieri plerumque ſolet, primiſque elementis
Grammatices nondum imbuti ad gymnaſia miſit;
Pinguis ubi doctor, doctos imitatus agreſtes,
Quique idem a puero eſt, vacuas ſermone flagellat
Indigeno, & ſpuriis conturbat vocibus aures.
At puer ingenuus, qui cauſas noſcere quaerit,
Naturaeque ſinus, accedit utrique paratus
Seu velit haec, aut illa ediſcere nomina, ſenſum
Dummodo verborum monſtres, tam ruſtica diſcet
Edita verba puer, quam quae meliora latina.
Quin magis admiror, potius cur illa magiſtris
Sint accepta magis, cum nemo (1) lampade quamvis
Quaerat eleuſina dignoſcet, quid ſibi nomen
Expetat exiguum: quid ſi carioſa recenſent
Sermone in longo, ructamque vocabula? cernes
Rutilium populo ardentes depromere ab ore,
Ficta ſub ſpecie, vittas, ſed non ſine fumo;
Atque agit a tabula fatuum mirante popelo
Archigenem, ſpuriis vendentem pharmaca verbis,

(1) Qua fertur Ceres Proſerpinam quaeſiſſe.

Italico quoniam ſonitum commiſcet Iberum,
A quibus illa oritur dialectus ruſtica, qua cum
Imponit falſo miſerae medicamina plebi.
Verum depoſito ſatiri jam tegmine, tecum
Cauſam agito clamoſi illius imagine: narra:
Si modo Rutilius pueris in claſſe Lycaei
Senſa Stagirites verbis aperiret iiſdem,
Falſa quibus laudat rauca ſua balſama voce,
Cenſereſne bonus Sophiam tractarier illis
Nominibus meritam? Nunquam me judice cernes.
Ergo quî differt ſpurio ſermone latino
Italicove uti, quandoque eſt inter utramque,
Ruſtica ſermonis ſemper commixtio, linguam?
Jamne vides quantum promat ſententia fumi
Veſtra? & inanes vultis caute amicire colore
Mentito ſtatuas, falſaque ſuperſtitione
Poſſe negatis agi, quod veſtrae inſcitia menti
Difficile opponit, quoniam nequit ipſa fateri?
Velle tuum magnum eſt: opifex ſtudioſa voluntas,
Cuncta tamen renuit, ſapiens *Nollitio* veſtra.
Id nobis nuper monſtravit vernula, quamvis
Ruſticus, & juvenis; quem dicta ſaepe videres
Ocius arva peragrari, ſi vellet Alonae;

Ae-

Aedibus a noſtris cum nollet, ad illyritanam (1)
Uſque ſueſcebat portam conſumere mane,
Quae nil diſtabat: tanti eſt cum nolumus ipſi,
Et facilis, pronaeque rei, labor arduus. At tu
Qui differs? tenta ſolum, mihi crede, Sabelle,
Tenta: romanos nunquam ſapientia fontes
Horruit, & veſtros dudum fugit, utpote foeces
Vindelica obductos, quorum vitiatur odore
Naſus: doctor praeſertim cum Paedius, atque
Naevius, inflatis ructant nova nomina buccis.
Verum illis etiam veniam dabo, ſoloeciſmis
Dummodo non ſemper, doctorum clauſula peccet,
Foemineis nec neutra velint, nec maſcula neutris
Conjugio ſtabili conjungere nomina; nec ſic
Incipiat, medio ut curſu male tuſtiat, atque
Haeſitet, aut patrio deducat nomina vicco:
Tunc ſi forte negat, longo in ſermone latinas
Ingenium voces, citius ni ſuggerat illas
Quam pudor, & declamantis facundia poſcit,
Suppetet, effictas ſpurius jam ſermo, latinum
Quae ſervent ſonitum, & normam, guſtumque Lycaei.

(1) Porta eſt Alonae, quae ad antiquam Illyrim ducit, nunc vero oppidum, vulgo dictum *Elche*.

Hinc *Gotti*, *punctique ſonant*, *trozique papiri*
Albentis, *parieſque omni nudata tapice*,
Ronſari perlas, *& perros parturientes*;
Conſeitaſque negat, *quod concedunt mihitates*.
Num deliro ſanus, Sextili, aut nova noſtram
Thyſiphone tetigit thirſo mentem? omnia nuper
Audivi impleret cum magna corona theatrum,
Et declamarent, ullo abſque pudore, cuculli
Abnormes, aſinique: albis mihi ſermo bilinguis
Corvorum merdis, Pantherae, ac ſtercore foedo
Durior ipſe videbatur, limoque ſuburrae.
Clauſula fumoſis obſcurior altera tignis
Surgebat tandem, medio ſed perdita calle,
Ibat iter, tenebris lucem praebentibus; atque
In titivilitio, nimium dum inſulſa moratur,
Et loca nota petit numquam ſibi comparat illam,
Quam petiit metam, vaga. Multis quid moror ultro?
Ruſtica, ſi totum ſermonem nomina texunt,
Verbaque legitimos numquam notura parentes?
Hoc ſpurium ſervat ſonitum, illud poene latinum
Nomen habet ſenſum, ſed poſtera ſillaba peccat,
Et genus hoc etiam mutat, ſenſumque remittit,
Sincipite in duro variantum cuncta Sophorum.

Au-

Audis, & haec rides, Sextili? *Petreitatem*
Non tamen aſpernabere; quid ſi *Lentulitatem*
E medio eductam Latio, puroque liquore
Doctores ſcirent quondam a Cicerone dolatam,
Cum doctum vellet ridere jocoſus amicum?
Caetera nil moror, ut mavis ſectare: ſed illam
Nunc te ſcire prius volui, puero mihi quondam,
Quam cecinit ridens fabellam tonſor, & idem
Si bene nunc memini vidiſſe ajebat, ut olim
Raucus ab adverſa quaeſiſſet ſaepe feneſtra
Pſittacus, audacem roſtro deprendere Picam
Occultum propter furtum, nec habere fugacem
Poſſet iners domini conſtrictus fune, ſuaſit
Ardor avi verbis ulciſci: hinc nomine furti.
Quod male condidicit, mota eſt ubi machina; Picae,
Furteitas referunt, illam ceciniſſe fugatae,
Unde Stagireis, tonſores formulam in *eitas*
Acceſſiſſe canunt: ſed non ego credulus illis
Aſſuetis falſas graviter narrare tenellis
Fabellas pueris; credam finxiſſe Lycaeo
Subtile ingenium, cum afflatum lumine, & aura
Coeleſti, propriam dignovit *Scoteitatem*.
A Coelo geneſis: quid grandius edere poſſet
Ni prius intraſſet divinus Romulus, atque

Ju-

Jupiter in terris affari posse, negaret?
Duceris ut video veri ratione, vetustas
Sed prohibet linguae; quoniam deponere duris
Difficile est senibus, juvenis quae combibit usus.
Scilicet id fateor; quis enim temeraria vidit
Verti vota senum? juvenum medicina paranda est
Ingeniis, nam tarda, parum juvat: omnibus olim
Mos fuit Hispanis, collum, manicasque tumentes
Crispare ad numerum, pressoque accingere longum
Mucronem lateri, curtaque incedere veste;
Necve supremum unquam violare novacula labrum,
Inferiusve suescebat, quo grandior iret
Majestas toto descripta in corpore: sed nunc
Moribus est illis novitas praelata, patrumque
Relligio, praeter sermonis rustica verba,
Magnum operis pretium ingeniis factura Sophorum.
Quid quod tempus erat, cum gentes foedere palmas,
Mutuaque ordiri vobiscum, & priva solebant
Ingenii, doctoratusque insignia, toto
Cum daret orbe Sophis, solummodo jura magister
Unus, & ejus jurassent in sensa, videndum
Cum nondum depressa daret facundia vultum
Gentibus, & tenebris omnes involveret aevum.

At-

At nunc eſt converſa gradum fortuna, ſibique
Verterunt vitio ſalebris haerere priorum,
Illuvieque putri, quando natura vocatis
Ad ſeſe populis, cauſas aperiret, & imos
Terrarum, rerumque ſinus, coelique meatus.
Quid tamen Hiſpanus? veteri nutritus in alga
Ingenium; & depaſtus adhuc gravioribus offis,
Semper in *enticulis:* nec quidquam grandius audet
Quaerere, ſed limo jamdudum pinguis in illo
Haeſitat, eſca ſuo non inficianda palato.
Interea populi trans culmina Pirenaea,
Alpinumque jugum, ſummiſque ex montibus Iſtri
Sordes irrident noſtras, atque eminus unguem
Dimidium noſtris monſtrant ſapientibus, alto
Barbara doctorum excipientes verba cachino.
Totaque in anticiras noſtrorum turba Sophorum
Mittitur, ut melius poſſint urgere celeuma (1)
Et noſtros a longo educere littore, riſus.
I, nunc infelix, & grandes inter alumnos
Nautarum cimbas alternis ducite funes:

Nam

(1) Clamor nautarum cum vires operi impendunt, quem ſuis rixis imitantur Scholaſtici.

Nam me magna vocant, & adhuc lanugo juventam (1)
Arguit, urgendum eſt: ſed nondum ponimus arma,
Servamuſque illud, ſatirae quod muſa pepercit.

FINIS.

(1) Vixdum vigeſimum ſecundum agebat annum poeta, cum has ſcripſit ſatiras.

ERRATA		CORRIGE.
Pag. 9. lin. 18.	hinnulis	hinulis
10. lin. 20.	Hauriet	Hauriat
22. lin. 18.	Palliclum	Palliolum
49. lin. 18.	*aequipolentia*	*aequivalentia*
12. lin. 20.	cauſis	cautibus
23. lin. 16.	medius	mediis
27. lin. 1.	ſubderat	ſubderet
28. lin. 21.	poſſe	paſta
30. lin. 2.	attigerat	attigerant
40. lin. 6.	maluerit	maluerint
41. lin. 18.	leges	ſeges
42 lin. 1.	Exſuperat	Exſuperet
44 lin. 7.	amittat	amittet
46 lin. 12.	talis	telis
47 lin. 6.	vitiis	viſis
50. lin. 21.	oſtendatque	oſtendetque
52. lin. 3.	Aquae	Atque
55. lin. 23.	Iudit	Iudi
63. lin. 8.	Recepit	Accepit